



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

40. De Apollonia Virgine Alexandrina, cui cùm Decij tortores effringentes dentes, viam se combusturos comminarentur, ipsa spontè cum stupore omnium, in rogam accensum prosiliit. Cap. 31.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

*Hac ad tortores dixit Dionysius, vrbis
 Antiocha praesul, verba notanda, suos:
 Quid tantum capitis vos, me insectando, laborem,
 Quod cupitis facile est obtinuisse cito.
 Vestro, lictores, hoc, quod petit ipse, tyranno,
 Annulsum nostro corpore ferte caput.*

40. DE APOLLONIA VIRGINE
 Alexandrina, cui cum Decij tortores ef-
 fringentes dentes, viam se combustu-
 ros comminarentur, ipsa spon-
 te cum stupore omnium, in
 rogam accensum profi-
 lijt. Cap. 31.

*Tempore quo Decius Romanus scepra tenebat,
 Christe, ferox semper qui tuus hostis erat.*

*Virgo fuit Christi, quae fassa Apollonia nomen,
 Edebat fidei plurima signa sua.*

*Vrbs ab Alexandro patria est sortita potenti
 Nomen, vbi clarent ostia Nile tua.*

*Huic Decius saevus dentes effringere iussit,
 Atque piam miseris excruciare modis.*

*At hanc firmato Christum cum pectore virgo
 Agnoscit, magna cum pietate Deum.*

*Terreat vt teneram, flammis ignesque minantur,
 Extracto fiat quo cinis illa rogo.*

*Hic Christi, mirum, succensa ab amore puella,
 Profilit in flammis, non remorante pede.*

Hic capit attonitos etiam tremor hosce ministros,
 Impia qui patrant talia facta, truces.
 Promptior ad mortem currat quod virgo tenella,
 Tortor quam pœnas irroget ipse ferox.
 Virginei tantus fuit olim pectoris ardor,
 In Christum sponsum tantus amorq; suum.
 Supplicijs quamuis contortæ, atq; ignibus vstæ,
 Attamen haud sponsum deseruere suum.

41. DE PHILIPPO ARABE, PRIMO Imperatore Christiano, qui prohibitus à Fabiano Episcopo, ne interesset facris paschæ, priusquam confiteretur peccata sua, & staret inter pœnitentes in templo, iuxta morem veteris Ecclesiæ, Episcopo obtemperavit, ostendens diuinum sibi inesse metum & fidem religionis plenissimam, capite 15.

Primus Arabs Latia clarebat in vrbe Philippus,
 Amplexus Gnati dogmata vera Dei.
 Quem sacra exclusit Fabianus Episcopus ade,
 Cùm celebranda ipso paschate sacra forent.
 Antè suæ fidei quàm vera signa dedisset,
 Et scelerum constet pœnituisse satis.
 Ergo iubet templo sceleratos inter & ipsum
 Peccati veniam poscere ritè sui.

Ritus